



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Directorivm Inqvisitorvm F. Nicolai Eymerici Ordinis
Prædicatorum**

Nicolaus <Eymericus>

Venetiis, 1607

Idem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13589

Officio Sanctissime Inquisitionis.

43

R B A N V S Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filiis provinciali, ac ceteris conuentualibus, Prioribus, & subprioribus, eorumque vicarijs ordinis Prædicatorum, Lombardiae, ac Marchia Ianuensis, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Edita anno Do
mini 1262.

N E Catholicæ fidei negotium, dilectis filiis fratribus vestri ordinis in Lombardia, & Marchia Ianuensi, infra designatos eis limites, Sedis Apostolicæ auctoritate commissum, & in posterum committendum, ex personarum defectu contingant,

Ex Archivio
Inquisitionis
Bononiensis.

(quod absit) quomodolibet impediti: volumus, & præsentium vobis auctoritate, districte præcipiendo mandamus, quatenus tu fili Prior provincialis, singulis ex prædictis fratribus, singulos socios, fratres videlicet ipsius ordinis prouidios, & discretos, ac idem negotio congruentes, de quibus hi, quibus assignati fuerint, metito valeant consolari, sublata difficultate qualibet, assignare proores, & nihilominus tam tu, quam vos alij Priors, subpriors conuentuales, ac vicarii, quoties ab eisdem fratribus, quibus dictum est commissum negotium, ac committetur in posterum, fueritis requisiti, & dicto negotio, fuerit opportunum, de aliis etiam fratribus eiusdem ordinis, præter illos, qui eis in socios deputati fuerint, cum omni promptitudine prouidere curetis: ita quod prefatum negotium nullam ex ex negligencia vestra dilationem capiat, sed potius ex diligentia continuum suscipiat incrementum. Datum apud Vrbem veterem vii, Calen. Nouemb. Pontificatus nostri Anno secundo.

CLEMENS PAPA IIII.

Præcipit, ut Inquisitores compellant sacerdotes magistratus, quarumlibet ciuitatum, & locorum per excommunicationem in personas, & interdictum in terras, monitione præmissa, refaciant conscribi in suis capitularibus, & inuolabiliter custodiri constitutiones Innocentij iiiij. non obstante aliqua Indulgentia Sedis Apostolicæ, quod excommunicari nequeant, vel eorum terre interdici.

C L E M E N S Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filiis fratribus Prædicatorum, & Minorum ordinum, inquisitoribus haereticæ prauitatis per Italiam auctoritate Sedis Apostolicae deputatis, & in posterum deputandis, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Edita anno Do
mini 1265.

A D extirpanda de medio populi Christiani haereticæ prauitatis zizania, qua abundans solito succreuerunt, superseminante illa licentius his diebus homine inimico, tanto studiosius, iuxta commissam nobis sollicitudinem infudare proponimus, quanto perniciosius negligeremus eadem in necem catholici seminaris peruagari. Ut autem aduersus huiusmodi nequitie operarios consurgant, stentque firmiter Ecclesia filii, ac orthodoxy fidei zelatores, Constitutiones † quasdam felicis recordationis Innocentius Papa prædecessor noster ad extirpationem haereticæ pestis edidit, & tam ipse, quam felicis memoria Alexander Papa prædecessor noster, Dilectis filiis Potestatibus siue Rectoribus, Consulibus, Capitaneis, Antianis, Consiliis, & Communitatibus Ciuitatum Castorum, aliorumque locorum per Italiam constitutis mandarunt, ut constitutiones ipsas, in suis conscribi Capitularibus facerent, & exacta diligentia obseruat: unde prædictis Potestatibus siue Rectoribus, Consulibus, Capitaneis, Antianis, Consiliis, & Communitatibus, damus nostris litteris in mandatis, ut ipsis & singuli eorum constitutiones easdem, cum quibusdam adiectionibus, modificationibus, & declaracionibus per dictum Alexandrum prædecessorem nostrum, & etiam per nos factas, conscribi in suis capitularibus facientes, nullis inde temporibus abolendas, secundum eas contra omnem haeresim se aduersus hanc Sanctam Ecclesiam extollentem, sine aliquo omissione procedant. Quo circa discretioni vestra per Apostolica scripta mandamus, quatenus si dicti Potestates siue Rectores, Consules, Capitanei, Antiani, Consilia & communitates, mandatum nostrum super hoc neglexerint adimplere, vos & singuli vestrum, illos, & singulos eorum, infra designatos vobis limites, per excommunicationem in personas, & interdictum in terras eorum, monitione præmissa appellatione remota cogatis. Non obstante si aliquibus a Sede Apostolica sit indulsum, vel in posterum indulgeri contingat, quod persona excommunicari, ac ciuitates, castra, terra, & loca ipsorum interdicti non possint, siue qualibet alia indulgentia sedis eiusdem, per quam effectus præsentium impedi viat vel differri, & de qua cuiusque toro tenore, de verbo ad verbum speciale, & expressam in nostris litteris oporteat fieri mentionem: & constitutione de duabus dictis edita in Concilio generali. Dat. Perusij xv. Kalen. Febr. Pontificatus nostri Anno primo.

Ex Archivio co
uentu S. Fran
cisci de Assisi.

† Hec constitu
tiones incipiunt
Ad extirpanda,
& supra sunt in
ferox.

I D E M.

Minister provincialis de consilio discretorum fratribus sui ordinis Inquisitores idoneos eligat, quibus præcipiat in virtute sanctæ obedientia, ut Inquisitionis officium in locis sibi commissis viriliter exerceant contra haereticos, credentes fautores, defensores, & receptatores eorum iuxta formam in alijs litteri expressam. Quod si ex aliqua causa aliquis Inquisitor fuerit amouendus, eo amoto de consilio discretorum alium substituat cum pari auctoritate & potestate: idem faciat Inquisitore mortuo.

Hoc

Hoc priuilegium tributum Ministris Generalibus, & Provincialibus Prædicatorum, & Minorū ordinum eligendi, deponendi, & subtiliūdi Inquisitores in suis prouincijs, prius eiā concessit Innocentius iiii. rescripto incipiente. Odore suaui, quod nos vidimus authenticū. Iam hoc ipsum primitiū trāsmisum ab eodem Clemente iiii. fratrib. Prædicatoribus, vidimus in Archivio inquisitionis Bononiensis, datum Perusij xv. Kalen. Nouemb. Pontificatus sui, anno primo, quo tribuit potestatem eligendi octo Inquisitores, Benedictus vndeclimus dēcē adiecit, rescripto incipiente: Licet olim, quod item vidimus in inquisitione Bononiensi. Ceterum nunc nec Ministri ordinum Generales nec Provinciales solēt inquisitores eligere, nec deponere, mutare, vel transferre, inconsulto sacrosancte, & generalis Romanę inquisitionis Senatu: imò vero hodie Cardinales Generales inquisitores ista conficiunt.

Edita anno Do
mini 1265.

Ex Archivio
Inquisitionis
Bononiensis.
Concordat re
scriptum Inno
centij iiii. Lice
ex omnibus re
lat. sup.

Fymericus in
Directione, p.
q. 9. & seq.

CLEMENS Episcopus seruus seruorum Dei, dilecto filio... Ministro Provinciali fratru ordinis Minorum in administratione beati Francisci, Salutem & Apostolicam benedictionem. LICET ex omnibus mundi partibus, quæ Christiana religione censemur, teneamus ex officii nostri debito extirpare lethiferā pestem hereticę pravitatis; in Italia tamen imminent nobis hęc sollicitudo propensius, ubi eandem pestem propter malitiam temporis, quæ in detinimenterum fidei Catholica peruersa genimina germinauit, ex vicinitate persensim aabundans succetuisse. Cupientes igitur in Spoletan. Fulginat. Assisiat. Nuocerin. vñque ad montes Apeninos dumtaxat, Eugubin. Ciuitate Castel. Perusin. Tuderin. Amelien. Narnien. & Interannen. Ciuitatibus, & diecessibus suis, necon & terris Machilon. & Amiterni. & dominorum de Monticellis, & Sumatis, ac etiam inde Ariquate, & Tusi Castris, & Aice de Salli, & eorum pertinentis Reatin. & Alculan. diœces. per aliquos de fratribus tui ordinis partem super hęc nostrę sollicitudinis adimpleri, discretioni tua per Apostolica scripta firmiter præcipiendo mandamus, quatenus de consilio aliquorum discentiorum fratrum ipsius ordinis, eligas duos de fratribus eiusdem ordinis tuae administrationis, idoneos ad huiusmodi opus Dominicum exequendum, eisque in virtute obedientia districte Apostolica præcipere auctoritate procures, vt Inquisitionis officium in locis prædictis, contra hereticos, credentes, factores, defensores, & receptatores eorum, iuxta formam in aliis litteris nostris expressam, quas fratribus prædicti ordinis Inquisitoribus huiusmodi pravitatis, in eisdem locis deputatis auctoritate Apostolica, & in posterum deputandis, non expressis aliquorum nominibus, super exequendo dicto Inquisitionis officio destinamus, exequi studeant diligenter. Nos enim prædictos duos fratres, quos ad hoc elegeris, & utrumque ipsis, prefatum officium exequi, iuxta formam in litteris ipsis expressam, ac ipsis illam potestatem, & auctoritatem plenarię habere volumus, quæ in eisdem litteris continetur.

Si vero tu vel vicarius tuus te absente, aliquem Inquisitorum huiusmodi, ex aliqua sorte causa nonnquam fore videritis amouendum, ipsum amoueat, & substituatis loco eius alium, quem similiem potestatem, & auctoritatem habere volumus, quoties vobis deliberatione cum aliquibus discentiis fratribus dicti ordinis p̄ehabita, hoc fore videbitur faciendum: & si aliquem vel aliquos Inquisitorum ipsisdecedere forte contigerit. Nos substituendi de consilio aliquorum discentiorum fratrum eiusdem ordinis, alium vel alios loco illius vel illorum qui decesserint, ita quod huiusmodi substituti eisdem omnino auctoritate ac potestate fungantur, tibi dictoque vicario si tu abiens fueris, plenam, & liberam concedimus tenore presentium facultatem. Datum Perusij iiii. Kalen. Octobris, Pontificatus nostri Anno primo.

Io. de Camp.
pro Cur.

I D E M .

Fredericus Romanorum Imperator eius nominis secundus, ad annos Domini 1220. ad Imperij dignitatemeueūtis, non multo post tēpore ab Honorio III. Rom. Imperij diadema honorifice accepit. hic Fredericus quo anno Imperatore est pronunciatus, Patavij multas leges tulit in fauorem Ecclesie, & contra hereticam pravitatem, quas multi Romani Pötifices confirmarunt, videlicet Innocentius III. anno Domini, 1253. & Alexander III. anno Domini 1258. & Clemens III. in praesenti rescripto anno Domini 1265. quas nominatim etiam suis rescriptis inserunt, & penitus obseruari inbent.

Eas leges in rescripto Innocentii iiii. insertas supra curauimus imprimendas: sed quoniam tunc defuerunt authentica seu originalia exempla in nonnullis variatum fuerat, & propriea consulo sublata omni lectionis varietate, & incertitudinis scrupulo alias duximus imprimendas.

Edita anno Do
mini 1265.

Ex Archivio
conuentus san
cti Francisci de
Assiso.



LEMENS Episcopus seruus seruorum Dei, Dilectis filiis Potestatibus, sive Rectoribus, Consulibus, Capitaneis, Antianis, Consiliis, & Communitatibus Ciuitatum aliorumque locorum per Italiam constitutis, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

CM aduersus hereticam pravitatem quondam Fredericus olim Romanorum Imperator, & tunc in Ecclesiæ Romanę deuotione persistens, promulgauerit Padue quasdam le-

ges